



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Catalogus Praelatorum huius Monasterij alius exhiberi non potest,  
praeterquam qui sequitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

Catalogus Prælatorum huius Monasterij alius exhiberi non potest, præterquam qui sequitur.

*Ioann. Hyrn*, gubernavit an. 1496.

*Ioann. Coci*, an. 1508.

*Augustinus Hobentzner*, an. 1550.

*Georg. Sedlmayr*, an. 1561.

*Wolfgangus Puecher*, an. 1607.

*Christophorus Elvvanger*, modernus Præpositus.

### SCHLIERS.

DE institutione & fundatione huius Monasterij, ordinis **Canonicorum Regularium**, ad lacum Schliers, inter Oenum & Mangualdum flumina ad radices alpium situm, scribit Auent. in suis Annalib. lib. 3. fol. 303. Adalund, Hildeuold, siue Hiltbold, Odacer, Garioualda, siue Gariobald, Antonius, claris orti natalibus, ad Sylurnum lacum, Monachis aëris, hoc est, Benedictinis templum ædificarunt, Aribo Episcopus Frisingensis dedicauit, Berchtoldum juris diuini consultum ipsis Patrem dedit, & hoc sub Tassilone, Duce Bauariæ, circa Annum Domini 760. De hac fundatione scriptum reperio in libro magno traditionum Frisingæ, cuius stylus non omnino congruus est, &c. Regnante in perpetuo Domino nostro Iesu Christo; Ego itaque in Dei nomine Adalund simul cum fratribus nostris, nomine Hiltbold seu Kerpald, nec non & Antonij, siue Otakir, inspirante diuina gratia, secularia negotia deserentes, locum nobis elegimus de communi hæreditate nostra, siue parentum nostrorum in vasta solitudine Eremiti, quæ dicitur Schliersee, & ibidem, adiuuante domino Deo nostro, cellulam more solito construximus. Nam & oratorium cum consensu Episcopi Dni Aribonis ædificauimus, deinde aduocante prædicto Episcopo ad consecrandam prædictam Ecclesiam ita factum est. Deinde sub ditione ipsius Episcopi nosmetipsos commendauimus per omnia, & inde de manu Episcopali electum nobis Magistrum, virum venerabilem, nomine Berchtol, in nostro suscepimus Magisterio, deinde post biennium complacuit fratribus eligere prædictum Berchtol ibidem Abbatem per consensum fratrum, adduximus eum ad prædictum Episcopum, iuxta ordinem regulæ S. Benedicti, electum ordinauit & nobis posuit Abbatem. Ideoque decernimus cum consensu ipsius prædicti Episcopi nostri, vt secundum autoritatem S. Benedicti regulam regerent, & ibidem regulariter de ipsis fratribus sibimetipsi eligerent Abbatem, ipso ordinante Episcopo de domo S. Mariæ. Si ibidem forsitan defuerint tales inter ipsos fratres, de domo Episcopali eligant Abbatem, ordinante Episcopo. Actum in prædicto Monasterio Schliersee, sub die consul. quod fuit 12. Calend. Februar. Indiæ XII. regnante Dño Tassilone, anno 32. Et ipsi subscripti fratres inuicem testes extiterunt. Hos fundatores puto fuisse familiæ Waldecensium Dñorum, tamen enim hoc Monasterium, cum aliis plerisque, circa Annum 907. per Vngaros vastatum, per Octonem Epum Frisingensium, cum fratre Heinrico, Duce Bauariæ, ex familia Leopoldorum Austriacorum Marchionum, vnâ cum aliis Monasteriis Bauariæ, circa Annum 1140. restauratum sit, translatis eò Canonicis regularibus, nihil tamen præcipui contulerunt, vt puta qui in Bauaria nihil proprii habebant, atque ibi modico tempore regebant, vnde pro fundatoribus huius Monasterij non habendi, sed potius Dni Waldecenses.

PRO.